

est volitum, sicut qui eligit medicinam delectabilem et sapidam, gustum illum et saporem non attingit electione formaliter loquendo, sed vel simplici dilectione et complacentia, vel intentione, quia ratione sui diligitur: solum autem eligit id quod medicinale est, et ad sanitatem conducens in illa medicina. Sed electio prout attingit medium ut medium, respicit finem ut rationem formalem specificativam, sub qua medium illud diligitur, quia tota et essentialis ratio diligendi medium est finis, ad quem medium illud conducit. Non conducit autem, neque est utile ad finem proximum (sicut in medicina delectabili, ratio medicativi non conducit ad saporem illius cibi) quia hic est ipsummet objectum, quod eligitur, et ad seipsum non dicitur utile, neque conducens, sed ad alterum. Ergo finis respectu cuius conducit, est ratio formalis, et specifica talis medii. Hic autem est finis remotus, seu superior, et imperans, non proximus; ergo ille dat speciem non accidentalem, sed essentialem illi actui ut electio est.

LXXVIII. Respondetur quod electio ut electio verum est, quod respicit medium directe, et per se, quod medium importat rationem utilis, et conducentis ad finem. Sed tamen ratio ista medii, et conducentiæ contingit esse dupliciter. Uno modo sic, quod ista utilitas, et conducentia non fundatur in alia bonitate, aut malitia de se appetibili, sed tantum sit nuda, et mera utilitas ad finem: alio modo sic, quod ipsamet conducentia ad finem fundatur in alia bonitate, vel malitia propria ipsius medii. Quando est sola utilitas ad finem, tota ratio et prima, et essentialis ipsius medii sumitur a fine, ut participative reperitur in medio, et cum medium eligitur, ipse finis attingitur, non ut quod, sed ut quo,

seu ut ratio sub qua attingitur, et illa est prima, et per se ratio attingendi, et consequenter essentialis pro illo actu eligendi, imo et tota ratio eligendi, et appetendi medium. Quando autem ipsa utilitas, et conducentia ad finem fundatur in ipsa bonitate propria objecti, tunc electio ut electio non potest tangere ipsam conducentiam ad finem, et utilitatem, nisi tangat etiam bonitatem propriam non absolute in se (id enim fit alio actu simplicis amoris, vel intentionis) sed ut fundatam illam utilitatem, et conducentiam ad finem. Et pro ea parte qua tangit bonitatem propriam objecti, ut conducentem, accipit speciem illius bonitatis non solum, ut tendentem ad finem superiorem, cui utilis est, sed ut fundatam in propria bonitate; unde habet utilis esse. Sic ergo quando argumentum dicit, quod illa bonitas propria, et intrinseca objecti electi, non respicitur ut finis cuius gratia, neque ad illam bonitatem conducit utilitas talis objecti, quia non est alia ab objecto, sed propria ipsi, distingo; non respicitur ut finis cuius gratia extrinsecus, et tamquam terminus ad quem ista utilitas conducit, concedo; non respicitur ut finis cuius gratia intrinsecus ipsi objecto electo, et tamquam fundamentum illius utilitatis, et conducentiæ ad ulteriorem finem, nego.

LXXIX. Et cum infertur: Ergo non attingitur illa bonitas propria objecti ipso actu electionis, distingo; non attingitur absolute, et ratione sui præcise, transeat; non attingitur, ut fundans ipsam utilitatem, et conducentiam ad ulteriorem finem, nego; hoc enim totum eligitur, scilicet illa utilitas medii, ut fundata in tali bonitate propria. Atque adeo quando objectum utile habet etiam bonitatem propriam sive delectabilem, sive honestam, fate-

mur dari duplicem actum, alterum simplicis amoris, vel intentionis, quo illa propria bonitas diligitur, et complacet in se, et absolute, et hoc non pertinet ad electionem; alterum electionis, quo diligitur illud medium, ut conducens ad alium finem superiorem, sed quia talis conducentia fundatur in illa bonitate propria, etiam illa attingitur per actum electionis non absolute, sed ut fundans illam convenientiam, et utilitatem. Si enim pertinet ad electionem utilitatem in medio respicere, atque conducentiam ad alterum, etiam et fundamentum hujus utilitatis debet perpendere, et eligere, et hoc est propria bonitas non absolute dilecta, sed ut fundans utilitatem electam.

LXXX. Et cum instatur, quod illa utilitas non conducit ad propriam bonitatem, et sic non respicit illam ut finem etiam inter medium, respondetur quod non conducit ad illam bonitatem propriam, ut ad terminum, et finem extrinsecum cui deserviat, sed conducit ad illam ut ad finem, et bonum intrinsecum, seu potius illa propria bonitas objecti conducit ad illam utilitatem, quia fundat illam, et sic non potest diligi, et acceptari per electionem illa utilitas, nisi acceptetur illa bonitas, quæ est ejus fundamentum, et quæ conducit ad talem utilitatem. Et sic dicitur esse ejus finis proximus, et immediatus, sed intrinsecus, et in quo talis utilitas fundatur, ideoque ab eo habet primam, et immediatam speciem bonitatis, eamque essentialem, quia ex proprio objecto est: quæ autem est ex fine remoto supervenit isti, et accidentaliter est, quia supponit bonitatem jam constitutam ex objecto.

LXXXI. Ad secundam confirmationem principalis argumenti respondetur, quod totum illud aggregatum ex actu imperante, et imperato non

habet unicam speciem simpliciter, sed est duplex, et una accidentaliter se habet ad aliam; actui enim imperato accidit, quod imperetur a tali fine, vel intentione. Unde si ex objecto suo habet propriam bonitatem, illa est sibi essentialis, et quæ est ex adjunctione finis imperantis est circumstantia, et sic est accidentaliter. Totum autem aggregatum ex illa duplici specie non facit speciem, et essentialitatem unam, et sic non oportet quærere pro illo aggregato unam speciem essentialem, sed solum unum aggregationem, et in hoc præcipua species est, quæ est in actu imperante; tum, quia est dignior cum sit circa finem; tum, quia movet, et ordinat aliam, quæ est imperata; sed non requiritur quod sit essentialis toti aggregato, sed essentialis sibi, id est, actui imperanti, et accidentaliter actui imperato; respectu autem totius aggregati solum est species quædam inadæquata illius totius, non autem species totalis, quia hæc non datur in aggregato, quod solum aggregatione est unum, non simpliciter.

LXXXII. Ultimo arguitur: Quando in uno objecto, vel ejus circumstantiis concurrunt duplex bonitas, vel malitia, quarum una non est per se subordinata alteri, sed dispartate se habet, ut cum quis furatur in loco sacro, ubi locus sacer non se habet ut finis, sed ut concomitanter volitum, et tamen dat speciem sacrilegii: aut quando quis jejunit simul ex voto, et ex præcepto, et sic immediate utramque speciem religionis, et obedientiæ, ac temperantiæ participat: aut quando simul adoratur humanitatem Christi latria, et hyperdulia, in his et aliis similibus casibus utraque species est æque volita, et æque influens in actum, non una sub alia, nec ex subordinatione ad aliam; ergo non est major ratio cur una sit essentialis, quam alia.

Quod si recurratur ad eam, quæ magis voluntaria est, et magis intenta, quod illa erit prima, et essentialis, tunc sequitur, quod semper species, quæ est ex fine imperante, et movente sit prior, et essentialior, quia finis est magis voluntarius, reliqua enim gratia illius sunt volita. Si vero dicatur, quod illa, quæ est ex objecto est essentialior, contra est; tum, quia possunt ambæ provenire ex objecto, ut cum æque primo reperiuntur in illo, ut jejuna ex voto et præcepto, dare eleemosynam huic homini quia pauper, et quia sacerdos; tum, quia sequeretur quod qui committeret adulterium non ex voluntate mœchiae, sed ut injuriam faceret marito, aut qui furaretur in loco sacro non ex voluntate furandi, sed ex voluntate faciendi irreverentiam loco sacro, talis non esset primo, et essentialiter sacrilegus, aut injuriosus, quod est absurdum. Quid enim refert ad speciem sacrilegii, quod ponat pro materia illius furtum, vel aliquid aliud habens aliam malitiam?

LXXXIII. Confirmatur ex D. Thoma in hac quæstione XVIII, art. VII, ubi dicit: Quod quando finis, et objectum per accidens se habent, et disparate, sicut qui furatur ut mœchetur: « Tunc differentia quæ est ex objecto non est per se determinativa ejus quod est ex fine, neque e converso, » et sic una species non est sub altera, sed actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis. Si vero objectum per se ordinatur ad finem: « Tunc una dictarum specierum est per se determinativa alterius, et una continebitur sub altera. » Ergo in primo casu neutra species est magis essentialis, quam altera, si enim una esset essentialis, et altera accidentalis, hæc sub priori contineretur. In secundo autem casu, una species est determinativa per se alterius; ergo non

manent duæ, sed ex illis una species fit, sicut ex genere et differentia, hoc enim requiritur, ut una sit per se determinativa alterius, nec enim aliter fit determinatio per se unius ad alterum, nisi eo modo quo species, vel differentia determinat genus. At non potest species ex objecto respicere speciem ex fine tamquam genus suum; tum, quia finis est circumstantia, non genus; tum, quia species ex fine non est aliquid in abstracto, et in communi, sicut genus, sed determinatam speciem constituit ipsius actus intentionis: ergo non potest esse una determinativa alterius per se, et essentialiter.

LXXXIV. Respondetur quod (ut supra diximus) quando concurrunt plures bonitates ex æquo, et immediate, sive omnes objecti sint, sive circumstantiarum, quarum una non sit sub alia quasi in subordinatione finis, dicimus quod tunc vel uniuntur in uno motivo tertio si utraque in objecto detur, et ex eo proveniat, vel si una est ex objecto, alia ex circumstantia; vel fine, illa quæ est ex objecto semper se habet ut essentialis et prima, quæ vero ex circumstantiis, vel fine operantis, ut accidentalis et sub illa, quamvis in movendo, et dirigendo semper sit potior, et prior quæ est ex fine, quia finis cætera movet gratia sui. Nec alia regula certior potest hic constitui in graduandis istis speciebus, quia in quolibet actu id quod essenziale est, et specificum præcedit in constituendo, et conveniendo ipsi actui, quod autem accidentale est semper convenit posterius, et supponendo essentiam, seu substantiam rei constitutam, licet in movendo, et alliciendo possit prius considerari id quod accidentale est, et ex parte finis, ut finalizantis se tenet, eo quod finis movet, et allicit ipsum agens ut operetur, et producat, et ita non respicit constitutionem es-

sentiae, et connexionem prædicatorum, sed productionem, et existentiam effectus, et actus, quæ aliquid accidentale est. Constat autem quod objectum in ratione objecti specificat, et dat primam, et essentialem speciem, ut docet S. Thomas in quæstione XVIII, artic. II, et quæst. XIX, artic. I.

LXXXV. Itaque objectum cum se habeat ut formale specificativum, semper respicit essentialiter constitutionem, et dat speciem constitutivam in eo ordine, et linea, in qua se habet ut objectum, finis autem ut finalizans, et circumstantia ut circumstans non dant specie constitutivam, nec se habent ut principium formale, et essentialiter actus, sed ut accidentaliter superveniens constituto, et sic non constituunt essentialiter, nec unquam se habent constitutive, licet in movendo, aut perficiendo, vel ornando actu possint principalitatem habere, quæ accidentaliter est. Reliquæ regulæ, quæ ab aliis traduntur, deficientes sunt, ut quod illa species sit prima, quæ prius movet, et magis voluntaria est, sic enim finis operantis daret primam speciem cum tamen finis, licet sit prior in movendo, non tamen in constituendo, et specificando; et oportet semper primam speciem deferre ei, quod in specificando, et constituendo est primum. Similiter aliorum regula, quod illa erit prima species in actu morali quæ potest esse sine altera, illa posterior, quæ sine alia esse non potest, ut circumstantia loci sacri in furto non potest esse mala sine furto, furtum autem esse potest sine irreverentia loci sacri: ista inquam regula fallit, quia etiam sacrilegium potest esse sine furto, ut qui accedit ad uxorem in loco sacro indebite, et qui tribuit eleemosynam isti quia pauper, et quia sacerdos, potest quælibet ex illis separari ab invicem:

et qui vult furari propter mœchiam, potest mœchiam velle sine furto. Ergo istæ regulæ deficientes sunt.

LXXXVI. Quare ad argumentum dicimus, quod quando ex objecto, et circumstantiis proveniunt diversæ bonitates, illæ quæ ex circumstantiis sunt respiciunt eam, quæ ex objecto est ut priorem, et ut essentialem, et constitutivam. Si vero ex objecto proveniunt immediate plures bonitates, illæ sunt inadæquate, et debent uniri in aliquo uno tertio motivo si eodem actu attinguntur, alias diversis actibus attinguntur, ut si quis vult jejuna ex voto, et ex præcepto, potest utrumque conjungere sub motivo adimplendi obligationes suas, et satisfaciendi illis unico actu, quod pertinet ad justitiam legalem, et similiter sub unico motivo adæquato eligit actum jejunandi unicum, quatenus utilis, et aptus est ad utramque obligationem implendam semel factum; et ad hunc modum potest etiam alias diversas bonitates objecti inadæquate respicere sub unico adæquato motivo eas eligendo, vel volendo.

LXXXVII. Cum autem instatur in illo qui vult adulterium non ratione sui, sed ut injuriosum marito, et furtum in loco sacro, ut irreverentiam illi faciat, dico quod non est in hoc alia difficultas, quam in eo quod diximus præcedenti argumento ad locum Aristotelis, qui mœchatur ut lucretur magis est injustus, quam mœchus, quod eodem modo qui mœchatur ut injuriam faciat marito magis est injuriosus, et injustus, quam intemperans, scilicet ex parte operantis, et ratione actus intentionis imperantis; ex parte autem ipsius actus imperati, et electi essentialiter est mœchus, et accidentaliter injuriosus, quia eligit mœchiam, seu intemperantiam ex illo fine, et talis finis est circumstantia mœchia; non ergo essentialiter illam

constituit, quia jam invenit constitutam speciem in genere mali ratione objecti. Si autem non invenisset constitutam in ratione mali, sed vel indifferentem, aut bonam, tunc quia malus ille finis destrueret bonitatem, et determinaret indifferentiam, daret primam speciem mali illi actui, et transiret in conditionem, et officium objecti ille finis, vel circumstantia, ut sequenti disputatione dicemus.

LXXXVIII. Ad confirmationem respondetur jam nos supra disputatione præcedenti explicasse mentem sancti doctoris in his quæ dicit illo articulo septimo Breviter dicimus quod in primo vocat D. Thomas illas species disparatas, et per accidens attempta natura actus secundum se, et specificatione ejus ex objecto, quia per accidens se habet ad talem actum talis finis, verbi gratia ad furtum mœchia, quia potest illi abesse. Non tamen disparate se habent, id est, sine aliqua subordinatione attempta intentione operantis, eo quod vult operans talem actum ex motivo talis finis habere, et sic facit hunc finem circumstantiam illius actus, et motive seu directive subicit illum actum illi fini; constitutive autem, seu specificative habet speciem ex objecto, et accidentalem circumstantiam ex fine: et sic est ratio cur ista species magis, quam altera essentialis sit, nempe quia ista est ex objecto, quod est principium specificans, et constituens, alia vero ex fine, qui solum est movens, et finalizans, non specificans. In secundo autem casu non sentit D. Thomas unam speciem contineri sub alia, aut determinare aliam, sicut species sub genere prædicabili, et logico, sed sicut sub genere morali in causando, et movendo, sic enim aliqua species ex objecto per se subordinatur alicui fini, ut per se moventi, et finalizanti talem actum, et

sic determinat illam speciem ex fine non determinatione prædicationis, et per modum formalis rationis, sed determinatione directionis, et motionis, seu imperii. Tum, quia dicit D. Thomas quod una species continetur sub alia, et determinat aliam; utraque ergo dat speciem, et sic non determinantur modo prædicabili; tum, quia genus in moralibus illius speciei est bonitas, vel malitia in communi, quæ contrahitur per species, et genus bonitatis est moralitas in communi, non autem species ex fine genus prædicabile est respectu speciei ex objecto, seu ex mediis; tum, quia dicit D. Thomas in illo articulo quod voluntas cujus objectum est finis est universale motivum respectu omnium potentiarum animæ, quarum propria objecta sunt objecta particularium actuum; ergo comparatur finis ad objecta actuum, sicut objectum illius potentie moventis ad objectum potentie motæ; ergo non se habet, ut prædicatum genericum in prædicando, sed ut motivum, et causa universalior in movendo.

ARTICULUS VI.

Utrum dentur actus indifferentes in specie morali?

I. Consulto ponimus in titulo, an dentur actus indifferentes in specie, et linea morali: nam quod actus in linea, et ordine naturali habeant indifferentiam ad bonum et malum, et ad totum moralitatis genus sive in hac, sive in illa specie, dubitari non potest. Nam præter actus indeliberatos, quos constat, nec bonos, nec malos esse ex se, etiam loquendo de entitate actuum liberorum constat, et supra sæpius dictitatum est, actus morales ita naturalem entitatem vindicare sibi, quod in illa

moralitas fundatur, et quasi pro subjecto eam habet. De se, ergo naturalis entitas actus capax est moralitatis et sic indifferentiam quamdam habet, ut recipiat illam, sicut quantitas recipit colorem, et sicut lignum, aut æs artificialem formam. Et dicitur indifferentiam habere, quia etsi idem numero actus non possit mutari de bono in malum inferior actus sit, et a voluntate immediate elicitus (ut supra diximus) eo quod respectus moralitatis conaturalizatur entitati ipsi, et cum ea nascitur, nec deponi potest, nisi nova elicientia actus fiat, tamen dicitur actus ipse etiam interior indifferentis ex suo genere, vel specie naturali, verbi gratia actus amoris, vel desiderii, aut odii, ut malus sit, aut bonus, esto postquam jam productus est cum tali determinata moralitate non possit illam mutare, nisi nova elicientia, atque adeo nova entitate actus producta. Hanc ergo indifferentiam naturalem ex parte entitatis actus dari non dubitamus, neque hoc vertitur in quæstionem, sed supponitur. Nec similiter dubitamus dari aliquos actus indifferentes, seu medios inter meritum, et demeritorium loquendo de merito supernaturali, quia ad hoc requiritur charitas, et sic in peccatore potest esse actus bonus moraliter qui non est demeritorius, nec tamen meritorius est vitæ æternæ.

II. Difficultas est in duobus. Primum, an ultra istam indifferentiam naturalem, et entitativam in ipso actu, detur indifferentia, quæ sit species quædam moralis conditiva contra speciem mali, et boni moralis. Et est differentia inter naturalem, et moralem indifferentiam, quod naturalis sumitur quasi ex subjecto, id est, ex ipsa entitate actus, quatenus subjectum est capax, et susceptivum moralitatis, seu regulationis passivæ. Moralitas autem in-

differentia debet sumi ex objecto, quatenus etiam ipsum objectum in quantum indifferentis attingitur a lege, et a ratione, quæ de ipsamet indifferentia objecti disponit. Constat enim dari actus, qui attendendo præcise ad objectum non habent inde neque moralitatem bonam neque malam, sed indifferenter se habent, ut bene vel male fiant, ut ire in campum de se neque est malum, neque bonum, sed potest et bene, et male fieri juxta finem quam quis præposuerit illi actui, et sic de se solum habent capacitatem ad bonum, vel malum ex fine, et circumstantiis, in se autem, et ex objecto solum indifferentiam habent. Quærimus ergo, an ista indifferentia sit etiam per legem regulata, et sic feratur voluntas in illud objectum, quia indifferentis est etiam ut subjectum ordinationi, et regulis rationis, et consequenter sub hac ratione etiam morale aliquid sit, et ad lineam moralitatis pertineat prout indifferentis, sicque etiam suam constituat speciem in illa linea, et ordine morali.

III. Secundo est difficultas, dato quod ista indifferentia sit species moralis, et non sit indifferentia pure entitativa, et naturalis, an sit species positiva, et sub positivo ordine constituta; an solum negativa, scilicet status quidam capax boni, vel mali, utroque tamen carens.

INDIFFERENTIA EST SPECIES MORALITATIS.

IV. Circa primum ergo dubium, aliqui sentiunt hanc indifferentiam de qua, et præsentim agimus, quando dicimus dari actus indifferentes ex objecto, non esse indifferentiam moralem, neque in ordine, et linea morali constitui, sed tantum pertinere ad genus naturæ in actu indifferen-